CODEX POLITICUS

PRO MONARCHIA.

Auctore Nicolao. Porcinario

..... μηδὲ τὴν Πλάτωνος πολιτείαν ἔλπιζε, αλλα αρκε͂, εἰ τὸ βραχύτατον πρόεισι, και τέτε αυτε͂ τὴν ἔκβασιν ὡς ε͂ μικρόν ἐςι, διανοῦ. δόγμα γαρ αὐτῶν τις μεταβαλλει;

Marc. Aurel. lib. IX.

NEAPOLI
Ex Typographia Flautina
1818.

A S. E.

IL MINISTRO CANCELLIERE.

Nicola Flauto domanda di dare alle stampe il *Codex Politicus* col Commentario sul *Codice Politico* diviso in due tomi.

Commesso al Regio Revisore Parroco Giannattasio.
Castellentini.

ECCELLENZA.

Ho letto per ordine di V. E. il libro intitolato *Codex Politicus*. E' pare che l' a. abbia voluto ridurre in poche pagine, per dir così, quanto poteva risguardare i principj di politica co' quali gli è sembrato che una monarchia avesse potuto essere meglio regolata, avendo egli scritto per questa sola forma di governo. Siccome ha egli cercato serbare il più stretto laconismo nella sua immaginaria legislazione, ha scritto nell' idioma latino che allo stile laconico par che meglio si

convenga, e per far ciò ha evitato di frapporvi qualunquesiesi ragionamento. Ha lo stesso a. però, o chiunque altro sia stato, composto un commentario sul preteso codice che potesse star da se solo, e leggersi tuttinsieme, senza quella noia che si trae dai lunghi comenti, e dalle prolisse note delle quali si fa uso, comentando ciò ch' è troppo brievemente espresso. Stimo dunque che possa riescir non inutile la lettura della presente operetta, e tanto più perchè l' a. si mostra attaccato ai principj della nostra santa religione, e seguace di un diritto pubblico, non pervertito da perniziose dottrine.

Rassegno nondimeno tal mio parere al di lei alto discernimento, mentre ho l' onore di confermarmi

Di V. E.

Il Regio Revisore

Gaetano Parroco Giannatasio.

Na-

Napoli li 27. Febbrajo 1818.

La seconda Camera del Supremo Consiglio di Cancelleria.

Vista la domanda di Nicola Flauto per dare alle stampe un operetta, il di cui titolo è *Codex Politicus*, insieme con due tomi, che hanno per titolo *Commentario sul Codice Politico*:

Visto il favorevole rapporto del Regio Revisore il Parroco Giannattasio:

Stabilisce, ed ordina,

Che si stampi l'anzidetta opera coll' inserita forma della domanda del ricorrente Flauto, e l' approvazione del Revisore: ma non si pubblichi, se prima lo stesso Revisore non contesti di averne fatto il confronto col manoscritto da esso approvato.

Il Reggente della 2.ª Camera
Marchese di Castellentini.

Il Segretario Generale
Morelli.

L' Eccellentissimo Ministro Cancelliere Presidente, e gli altri Signori Consiglieri nel tempo della soscrizione impediti.

DOMINICO SARNO

PRÆCEPTORI SUO DILECTISSIMO

A.

ὑγιαίνειν καὶ εὐπράττειν.

QUum mihi ab unguiculis tecum agenti haud lateat, quantum ab elatis titulis abhorreas, te amplissimi præceptoris mei nomine collaudabo. Hac una nota, qua potes ingenii mei creator dici, opusculum ab eruditissimis prælectionibus tuis pene excerptum tibi dicandum censui. Quemadmodum enim agelli fructus assiduo diligentissimoque colono tribuuntur;

ita hic mentis meæ fructus tibi qui excoluisti, iure addicendus. Tuum itaque redditur, non datur alienum. Tu interim, qua soles ea comitate excipe, ubi ego officium, quo tibi gratus, tui amans, tibique obsequentissimus esse glorior, implere studuerim. Vale.

PRAE-

PRAEFATIO.

Cum primum ab exacta puerili aetate me ad politica contulerim, aliqua de populorum recte gubernandorum ratione conscribere in mente habui. Hoc inito consilio quantum ex veterum, recentiumque scriptorum libris excerpere poteram, id tantum una congerebam, ac scripturae perpendens pretium a mole, jam jam eram opus cedro linendum editurus. At forte aliis abstractus, aliis litterarum studiis illectus, et repentinis fatigatus infortuniis, ab elucubrationibus illis typis committendis, abstinui. Longo vero post temporis spatio, manus ad opus iterum admovi, et in re, qua praeclarissimi quique refulsere, boni nihil adspexi aliud, quam juvenilium cogitationum farraginem collegisse. Mihi vero serio cogitanti, utrum nugas illas meas igni, ventisve committerem, illud tantum occurrit, perpauca scilicet ex horribili congerie delibare, ac in brevissimi operis formam edere, in quo potius politicorum principia expedirem, quam scientiae

tiae huius partes sigillatim enuclearem. Pigebat enim longos cuiusvis generis labores perditum iri: animo enim nescio quid suavitatis natura inest, ubi tenerae aetatis nostrae monumenta perspicimus, et gravis quaedam molestia insidet, ubi alta illorum capit oblivio. Itaque pretium operae erit hic rerum ordinem, variique argumenti nexum breviter exponere: iustus nimirum me incessit timor, ne fugientium athletarum instar huc illuc me cursitare insimuler. Opusculo igitur prolegomena praemisi, ut legenti cuique ipsius intelligentiae adsequendae copia fiat. Mihi nempe stat principia nonnulla firma stabiliaque omnino praemittenda, quae nemo unus ibit inficias, ut quae deducuntur veritates, eae ab omnibus adsensum extorqueant.

Ordo autem ab ipsismet prolegomenis ita hauritur, ut si sedulo haec lector perpenderit, pertractandarum legum varietatem inter se facile cognoverit, unaque totius legislationis nexum obtinebit, dum illas in diversis operis titulis breviter pertractatas cernet.

PRO-

PROLEGOMENA

Legum origo.

§. I. Quaeque societas sine regimine haud stat: regimen legibus statuendum.

II. Leges organum supraemae auctoritatis censendae: haec continuo societatis utilitati intendit.

III. Cum cuiusque populi positio sit varia, diversa indoles, non eaedem cum aliis societatibus necessitates, connexionesque, leges quae pro populo alio conduntur, vel penitus, vel partim aliis populis minime aptandae: universalis legislatio chimaera est.

IV. Ut leges recto stent talo, mens, indoles, positio populi, pro quo leges feruntur, innotescat oportet.

V. Facile quaeque legislationis vis dignoscitur, si quot in partes populus dividatur respiciamus; quod cuique respicere fas est, ubi quae regimi-

nis

nis forma a populo servetur, accurate perpenderit.

VI. Regimen, pro quo legislatio haec in medium profertur, monarchia haereditaria erit.

VII. Fac ut populus in meridionalibus Italiae plagis incolat.

VIII. Pro climatis ingenti calore, hincque inertia, quae in animum iniicitur, populus indolem perquam volubilem variamque habebit: eius enim affectiones perquammaxume momentaneae, et fugaces occurrunt.

IX. In tres ordines quaeque societas suapte natura dividitur. 1. ordo illorum, qui mechanicis se devovent artibus. 2. quibus soli proprietas est, quique superfluos terrae fructus ad satisfaciendum opinionis necessitatibus convertunt. 3. Illorum denique, per quos scientiarum artiumque liberalium thesaurus custoditur. Harum quaeque divisio alias patitur divisiones. Prima in agricolarum, fabrorum, militumque: secunda in mercatorum, foeneratorum ac soli possessorum: tertia in magistratuum, ducum, aecclesiasticorum, ac sapientum classes dispescitur.

Le-

Legum obiecta.

§. I. A naturali statu in societatem homines coaluere, ut facinora, quae statum illum comitabantur, vitarent: tunc enim incertum vitam, proprietatemque servare. Bene igitur legum species ortae. Illarum una, quae vitam societatum membris servat; altera, quae proprietates ipsorum defendit.

II. Ut leges obiectis, circa quae versantur, respondent, sic ipsae magis minusve rectae.

III. Ut in societate utilis lex sit, haec habeat oportet. 1. Ipsius auctoritas a nemine in dubium revocanda. 2. omnibus innotescat necesse. 3. unicuique intelligentia facilis 4. sermone, quo societas utitur scribenda, 5. nulla, si fas sit, interpretatione indigeat, 6. non suadeat, sed imperet, 7. executio illius certissima, 8. si populi mores mutati, si cum aliis populis sint connexiones diversae, adeo ut lex in desuetudinem abiret, abroganda.

Le-

Legum divisio.

§. I. Divisio legum seu ab humanarum actionum aberratione a lege ipsa, seu a variis hominum ordinibus oritur.

II. Defectiones a lege crimina erunt. Hae vero in quinque species dividi possunt, et ab infractione officiorum, quibus cives adstricti, manant.

III. Officia sic penitus distinguenda 1. quae religionem respiciunt 2. quae statum 3. quae nosmetipsos 4. quae cives 5. quae denique omnes homines, quibus haud ipsa praestare officia, quae civibus, tenemur.

IV. Primo igitur leges respicient Dei cultum, revelatamque religionem; sequuntur quae officia erga statum praecipiunt; tertio quae officia erga nos metipsos.

V. Haec officia in quatuor dividuntur capita, ideoque legibus quatruplicis generis originem praebent. Officia, quae vitam servare praecipiunt, quae commodam nobis existentiam parare queunt, quae mentis facultates

co-

colere, quaeque dignitatem nostram provehere iubent. Leges obiectis istis respondeant oportet. Erunt igitur contra suicidium: in prodigos: de privata educatione: contra quos nil honoris curae.

VI. Hinc leges, quae officia erga alios imperant, et praecipue in propriam familiam: inferiorum igitur in superiores: horum in illos.

VII. Officia, quae cum civibus habemus, varii generis sunt. Vitam illorum servare tenemur 2. proprietatem 3. statum in societate. Transgressio horum officiorum a legibus coercita 1. in homicidium 2. in furtum et contra quasvis aliorum bonorum usurpationes: quod civilis codicis obiectum efficit 3. denique a legibus, quae civium servant dignitatem.

VIII. Officia, quae potius virtutis, quam obligationis dici oportet, circa eos, qui in propria civitate haud vitam degunt. Haec tamen cum civibus et servare decet: praesumitur enim hos erga nosmetipsos exercita ipsa velle. Horum tamen transgressio haud severe punienda.

IX. Ut varia civium conditio, sic officia, quae homines ut ipsius societatis membra sibi praestant, variam adipiscuntur naturam. Erunt igitur leges diversis hominum in societate ordinibus aptandae. Leges primi ordinis respicient agricolas, artifices, militesque: secundi mercatores, soli possessores, foeneratores: tertii, magistratus aecclesiasticos, militiae duces, ac scientiarum cultores.

De poenarum cum criminibus relatione.

§. I. Recta poenarum cum criminibus relatio perquamdifficilis: talionis lex ipsa, quae illam videtur servare, pluribus modis iniusta. Damnum, quod societati infertur vel pravis exemplis, vel illam bono quovis spoliando, unicus hercle canon prae oculis habendus, ut relationem ipsam statuere possimus. Societati quatuor modis damnum infertur 1. si suprema non veneretur auctoritas 2. si suis privetur membris 3. si prava adferantur exempla 4. si honoris principia, quae servant spernantur.

Prae-

Praemiorum distributio.

§. II. Quae homines in societate ad agendum impellunt, spes ac timor sunt: nemo sine caussa actiones quasvis admittit. Hae tamen a propria utilitate oriantur omnino necesse est. Praemia igitur, ut propria cum societatis utilitate in unum coalescat, curabunt. Hinc duorum generum praemia: alterum utilitatis, opinionis alterum. Infimis populi ordinibus utilitatis: aliis, opinionis praemia reservata. Illi enim ab utilitate allecti: hi gloriae cogitatione.

Legum executio.

§. III. Difficile leges factis aptare: semper aliquid judicis arbitrio remanet, et praecipue si mutatis populi cum aliis gentibus necessitatibus, leges adhuc stent. Erit igitur tribunal, cujus officium ad trutinam maturo examine revocare erit, utrum leges obsoletae mutandae, vel quammaxume firmandae.

LIBER I.

De legibus, quae officia erga Deum, et nosmetipsos praecipiunt.

Titulus I.

De religione.

L. I. QUisque credat Deum esse: timeat illum, amet, adoretque.

II. Si stultus de ejus existentia dubitet; aut dubium vulgat, illico ut edoceatur, societate secernatur, nec redux nisi instructus: aut in populo pravam suam diffundit sententiam, et in carcerem detrudatur, ibique tres annos stet, atque inde palam se deceptum fuisse fateatur; aut denique mentem suam in scriptum redigat, tunc durior carcer, ac pars bonorum suorum in publica pietatis opera vertatur.

III. Si vero Deum palam neget, morti damnetur, ac post mortem lingua illi auferatur.

IV.

IV. Si quisque Deum fateatur, illi tamen humanarum rerum curam haud penitus tribuat, vel in dubio sit utrum humanis vacet negotiis, a societate separetur, ut doctrinam rectiorem accipiat, aut adfirmet nil sibi de omnibus esse curae, et mortem habeat.

V. Quicunque in sermonibus suis haud Creatoris diligendi indicium adferat, in carcere stet, donec palam culpam fateatur suam. Si vero scribat, durior carcer.

VI. Quisquis politheismum edocet, poenam athei luat. Si dubia diffundat, societate secernatur, nec illam rursus ingrediatur, nisi melior evaserit.

VII. Quisque Deum adoret ut catholica religio praecipit.

VIII. Quisquis de disciplina ab ecclaesiastica auctoritate constituta, et a principe firmata dubitet, aut ex mentis levitate procedit, instruendus, aut pravitate cordis, et in carcerem detrudatur, bonaque in publica pietatis opera vertantur. Si in doctrinam ipsam scribat, asperior sit carcer.

TITULUS II.

De monarchia firmanda.

L. I. Principis persona sacra.

II. Si quis contra vitam illius quid molitus sit, morte puniendus.

III. Si indignis sermonibus pravisve scriptis illum lacessiverit, mortem subeat, dummodo tamen perquamdiligenter crimen probetur suum.

IV. Si quis conjuratione in politicum statum sit convictus, aeque ac si sciens illam haud panderit, morte puniatur.

V. Si reus nobilis sit, secure, furca si ignobilis mortem perferat.

VI. Si civi in rebellione haud sat animi, ut strenue monarchiae adhereat, has luat poenas. Si primum huic, dehinc alii regimini, et rursum primo mutatis rebus obnoxium fuisse probetur, ut tantum fortunae inserviat suae, carcere puniendus, in quo totam vitam transigat suam. Si nunc in unam partem, tunc in alteram abeat, absque tamen firma voluntate uni

uni adhaerendi sententiae, in carcerem detrudatur per duos annos.

VII. Quicunque in rebellione metu quieverit; innotescat tamen potius animo monarchiam, quam quodlibet aliud regimen praeferre, nil luat poenarum.

TITULUS III.

De officiis erga nosmetipsos.

Erga nosmetipsos officia tribus implenda modis sunt: vel vitam servando, vel mentis facultates colendo, vel praeclariorem in societate induendo personam. Quod de suicidio legibus statutum, ex criminali codice hauriendum. Hic leges quae aliis officiis respondent inveniri datum.

L. I. Quicunque mentis facultates suas vel in scientiis, vel in mechanicis colendis haud meliores reddat, puniendus.

II. Exacto educationis publicae seu privatae curriculo, unusquisque severo subiiciatur examini. Si educatio scientifica fuerit, ex illa tamen nil perceperit juvenis, in ipso publicae

educationis loco, studia protrahat sua: spes illi nulla publica obtinendi munera. Si sedulo scientiis se devoveat, repetito examine, cum doctior evaserit, libertatem recuperabit suam. Si exactis sex annis nil profecerit, hanc denique obtinebit, verum perpetuo ex publicis arcendus muneribus. Si vero mechanicas profiteatur artes, haud sat tamen in illis instructus, in longum educatio aeque ducenda, neque ex illa evadere liceat, donec victum sua sibi queat opera parare.

TITULUS IV.

De meliore comparanda existentia.

L. I. Si quis stulta bonorum administratione prodigus evaserit, vel in familia subjectus, vel princeps. Primo bis admonendus. Si prodigalitatem servet, in loco publicae educationis permaneat, donec melior evaserit. Secundo distinguatur: vel filios habeat, vel non: si nullos, pars bonorum in publica pietatis opera vertatur. Si vero sit illi familia, proprietates ipsius ser-

van-

vandae, verum asperior educationis illi deligendus locus.

Titulus V.

De alea.

Leg. I. Praeceps alea vetanda. Minutatim quaeque alea nominanda, ne fraudetur lex.

II. Lusores exilio decem annorum mulctandi.

III. Si quis imprudens novos inveniat ludos, in carcere tres annos stet; dehinc perpetuo exulet; bonaque illius publicentur.

Titulus VI.

De honoris regulis servandis.

L. I. In quovis ordine civis honoris principia, quae educatione accepit, veneretur.

II. Si nobilis artem indecoram exercuerit, puta histrionis, praestigiatoris, civilia amittat jura.

III. Si a suprema auctoritate semel

punitus, illam haud curet, aut spernat, in civitate stet, verum unusquisque cum illo familiaritatem ne habeat, infamiae poena adjecta. Sanguine junctis tantum cum illo vitam degere liceat. Si faber qui audenter admittit contemptum, in loco, in quo publicis operibus datur opera, stet. Lucrum, quod ipse labore haud exiguo parat, publico adiiciatur aerario.

TITULUS VII.

De officiis erga alios ac praecipue superiorum inferiores versus in privatis familiis.

L. I. Quicumqne in familia praestantior, is educationem inferioribus paret.

II. Si hoc haud curet, aut miseria evenit, tunque puer, educationem suae consentaneam fortunae in domo publica accipiet: aut negligentia, et pueros suos propriis sumptibus in domo ipsa alere cogatur. Ille tamen tres annos in domo correctionis permaneat. Censores, qui privatis puerorum educa-

cationibus vigilant, pro ingenio illorum vitae genus statuant.

III. Paterfamilias haud puerorum mentes in professionis delectu coerceat. Unusquisque duodecimo aetatis anno hanc ipsi eligat.

IV. Quicumque aleam pueris permittit, in domo correctionis tres annos commoretur.

V. Patresfamilias, ne avitae dilabantur substantiae, curabunt, non tamen hoc inquirere juvenibus datum, nisi expleto educationis curriculo.

VI. Si familiae principes haud curent inferiores in calamitatibus non noxia paratis levare, in domo correctionis tribus annis stent.

TITULUS VIII.

De officiis inferiorum erga superiores.

L. I. Obsequium inferior patrifamilias praestet, illi obtemperet, colat, amet.

II. Si filius senio confectum patrem haud omni ope sublevet, in carcerem de-

detrudatur, facultatesque suas in patris auxilium conferantur; etsi justas querimoniae in illum causas alleget. Haud in societatem redeat sine patris nutu.

III. Aes alienum filio, invito patre inire haud fas.

IV. Si vitam cum patre degens filius ex aere alieno, quod pater ipse sibi paravit, aliquid et ille perceperit; in patris mortem cum hujus bona sint fideicommissa, ex fructibus nil percipere filio liceat, donec quadrantem aeris alieni ex fructibus ipsis expungat.

LI-

LIBER II.

De legibus officia erga alios imperantibus, ideoque de criminali codice.

TITULUS I.

De homicidio.

ERga alios officia in civitate haec: Vitam, proprietates, honorem aliorum servare. Si quis sceleste civi vitam adimat aut considerate actionem parat, aut perturbato animo, morte puniendus. Verum secundo tantum mortem habeat. Primo ipsam post mortem, obtruncatum caput visendum populo exponatur.

II. Si homicidium propria defensione paratum, vel qui necem perpetravit, caussam dedit, vel non. Si dedit, morte puniendus. Si injuste tamen alius illum aggressus fuerit, haud morte puniendus. Haud vero absolvatur, nisi tertio post homicidium expleto anno: interim in carcere stet. Si tamen

men ut suum servaret honorem, aggressorem interfecerit, ut innocens habeatur, elapso tantum mensis spatio.

III. Si quis casu alteri vitam auferat, ut innocens censendus, ni tamen sua effecerit imprudentia, ut casu facillime eveniret. Quod si hoc eveniat, sex annos in domo correctionis suae luat imprudentie poenas, novamque ille educationem accipiat. Aeque homicidii mandans, ac mandatarius rei habendi.

TITULUS II.

De atrocibus criminibus.

L. I. Atrocia crimina definienda, ne judex quaelubet atrocia dicat. Omnino igitur haec

1. In religionem crimina: 2. crimen lesae majestatis: 3. parricidium: 4. infanticidium: 5. suicidium haud confectum, paratum vero: 6. amici vel benefactoris mors: 7. mors vel veneno vel proditione aliqua patrata: 8. sevitiae in cadaver, post necem propria patratam manu.

His

His pene omnibus mors decernenda, sitque quae infamiam pariat, reorumque manus tantum post mortem obtruncanda: nil amplius in reos saeviendum, si unicum demas in religionem crimen, de quo sat dictum. Horum bona tamen publicentur ac nomen illorum post mortem pluries per annum in foro a praecone publicae execrationi damnetur. Post duos annos vero princeps optumo det rei filio, publicum virtutis suae testimonium.

II. Suicidae tantum perpetuus erit carcer: dubium enim utrum stultitia, an divinarum atque humanarum rerum spretu ad mortem sibi conscindendam impellatur.

TITULUS III.

De mutilatione.

L. I. Mutilatio membrorum punienda. In mutilatione tres distinguendi casus. Vel injuria in alium ipsius ordinis illata, vel non. Hinc rursus distinguendum utrum nobilis, vel plebei ordinis sit. Si nobilis, reus sex

men-

menses in carcere stet, inde in domo correctionis duos annos permaneat. Si vero ignobilis generis, eodem expleto carceris tempore, duos annos reus publicis damnetur operibus.

TITULUS IV.

De duello.

L. I. Duellum vetitum. Si quis igitur alterum ad duellum lacessiverit, infamia puniendus, ac pars suae proprietatis in publica vertatur opera. Detur infamia et quibus cum illo commercium.

II. Lacessitus nullam luat poenam.

III. Politiae magistratus judicabit, utrum excusatione digna fuerit duelli caussa. Unica haec hercle erit, si haud duellum suscipiendo honorem lacessitus amiserit suum.

TITULUS V.

De furto.

L. I. Civium proprietas sacra.

II. Si furtum in publica eveniat via, mor-

morte puniendus fur. Et domesticus fur eadem puniatur pœna. Si illi proprietas aliqua sit, pars in publica pietatis opera vertatur, pars cui furtum illatum cedat.

III. Quaeque lesae partis remissio inutilis: pœna semper eadem.

IV. Furtum a proprietatis quantitate illius, cui illatum, metiendum: sexta proprietatis ademptae, mortis pœnam mereatur, si in ordine illorum, qui mechanicas profiteantur artes, eveniat.

V. Furtum, quod plus aureis centum erit, in ordine nobilium morte pecuniendum. Si tamen minus aureo furtum in quovis ordine civium patretur, exercitatione in publicis operibus tribus annis puniendum.

TITULUS VI.

De peculatu, ac de nummorum falsariis.

L. I. Peculatus convicti aeque ac falsi numismatis crimine, utpote publicae proprietatis fures, extremo damnandi supplicio. Bona illorum in publica pietatis opera vertenda.

TITULUS VII.

De honoris spretu.

L. I. Quisque alienum, ut proprium, veneretur honorem. Quinque caussae, quibus honor laesus. 1 stuprum. 2 adulterium. 3 attica venus, 4 calumnia in honorem. 5 fraus ad alienam parandam ruinam.

TITULUS VIII.

De stupro, adulterio, deque attica venere.

L. I. Stupri poena, cum vir ad ducendam puellam uxorem in quovis ordine sit, adstringatur, non vero ad dotem illi constituendam.

II. Si viro jam mulier adsit, stupratae que inesset opinio puellae, illum haud coniugem habere, tunc magistratus arbitrio, dos puellae constituenda, si dives vir. Hinc et tres annos hic in carcere stet: si pauper manuum suarum opera in correctionis domo eo-

eodem tempore permanendo, miserae paret dotem puellae.

III. Num puella haud suum praebuerit in stupro adsensum, omnino exquirendum. Quid si dederit? Stuprator anno tantum in domo correctionis permaneat: illa quatuor annis.

IV. Puellae matri fustigatio detur, ac ad publica damnetur opera tribus annis, si misera. Pater in carcerem sex menses detrudatur. Si ex nobilium ordine puella, mater in domo correctionis stet viginti annis. Pater decimam proprietatis partem in publicum conferat aerarium.

V. Adulter, adulteraque fustigatione publica puniendi, inde in domo correctionis in publicis se exerceant operibus, si ignobiles: si ex nobilium genere, infamiam habeant, ac quartam bonorum partem amittat adulter, quae erit in pietatis opera vertenda. Si vero invita mulier violentiam passa, nil iniungendum illi poenarum.

VI. Magistratus haud adulterii unquam notitiam quaeritent, ni poenam in adulterum vir laesus expostulet.

VII. Hic atticae veneris crimen ad-

 ne-

nectendum. Illius asperior adulterio poena, fustigatione nempe severiore: amissione bonorum omnium, ac in publicorum operum exercitatione damnandus, dives sit reus, pauperve.

VIII. Criminis huius notitiam non modo laeso, verum unicuique, cui accusare licet, palam facere fas erit. Recto tamen accusatio stet talo.

TITULUS IX.

De calumnia.

L. I. Si accusator ex denunciatione utilitatem aliquam percipiat, a magistratu, vel a censore audiatur, sed cum reo eodem tempore in carcerem detrudantur. Illorum carcer tamen haud aeque asper. Si calumniator evaserit, infamia puniendus. Stet quatuor annis in publicis operibus, si pauper. Si dives quartam proprietatis partem amittat.

II. Quicunque cum calumniatore commercium habeat, infamia puniendus.

III. Si accusatori nulla ex accusatio-

ne

ne utilitas, haud audiendus: magistratibus tantum notitiam de publicis moribus inquirere datum.

IV. Si denunciatio statum vel longe respiciat, accusator audiendus: in carcerem tamen detrudatur. Si calumniam attulerit, morte puniendus.

V. Famosi libelli vetandi. Scriptor damnandus publicis operibus, in quovis ordine sit. Sic omnes, qui libelli participes fuere.

VI. Si quis indignis alienam famam lacessiverit dictis, cum iniusta maledicentia probata fuerit, calumniae mereatur paenam.

VII. Si vero iniquissimus quis in medium calumniam ferat, haud inimicitiae pulsus stimulis, nec iniuria ulla lacessitus, sed tantum ut suae inserviat fortunae, asperior calumniae poena.

TITULUS X.

De fraude in alienum parandum exitium.

L. I. Si alicui inferatur damnum, vel juvenes scurrili educatione corrum-

pendo, vel in cujusvis animum funestas infundendo sententias, vel recti specie homines decipiendo, ut dum illi in crimine perpatrando aliquam captent utilitatem, et ipsis aliquod eveniat bonum; si qua alia hujusmodi generis facinora conficiantur, reus infamia puniendus, ac bes bonorum suorum in publica pietatis opera vertendus, si dives. Si pauper fustigationem habeat, ac per annos decem publicis devoveatur operibus.

II. Infamia in publica nuntietur via, adstante reo, nec semel: ter per mensem unum.

III. Infamia ad reorum familias non extendenda; immo beneficientia principis haud dubie declaret adprobationem suam in familiam ipsam.

Haec quatuor in civium honorem crimina caussae erunt, propter quas duellum indicere fas.

Titulus XI.

De correctionis domo.

L. I. Locus hic nec custodiae, nec carceris imaginem prae se ferat: correctionis tantum locus erit.

II. Liceat parentibus, vel amicis illorum, qui illic permanere coacti sunt, illuc ingredi.

III. Quibus correctionis opus est, iis puerorum more una erit vestis. Una victum accipiant, una sermonem quotidie de civium officiis audiant.

IV. Nobiles a plebeis secernendi.

Titulus XII.

De carcere, ac custodiae domo.

L. I. Distinguendus carcer a custodiae domo. Hic qui nondum rei: illic qui carcerem pœne loco obtinuere.

II. Nemo in carcerem ingreditor: pauci sententia judicis in custodiae domum eant.

III. Nobiles, atque ignobiles aeque custodiendi, non vero una.

IV. Fabrilia sive nobiles, ignobilesve, pertractent qui in carcere erunt.

V. Nil ipsis iniungendum laboris, si sint in domo custodiae.

TITULUS XIII.

De criminali processu.

L. I. In processu accusatio, probationes, defensio, sententia distinguendae.

II. Cuique laeso tantum, vel sanguine junctis paterno, maternove latere ad sextum gradum usque liceat alterum accusare, dempto tamen adulterio, de quo nonnisi marito vadimonium instituere fas.

III. Crimina, quae haud alium privatum accusatorem habent, duos publicos accusatores in urbe principe, unum in quavis provincia invenient.

IV. His tantum crimina referant, qui directe ab illis pendent.

V. Quicumque accusationem instituit, hanc claram, ac omnibus circumstantiis factum comitantibus repraesen-

sentatam, quae veritatis adspectum conferant, deducat.

VI. Obscurae, dubiae, ambiguae accusationes respuendae, ni crimina statum respiciant.

VII. Crimina haud praescribuntur; verum enimvero si temporis diuturnitate accusatio obscura evadat, puta triginta annorum, haud acceptanda.

VIII. Si calumniam accusatio contineat, et in criminibus adversus statum quamvis ab inferioribus justitiae ministris proveniat, hos pœna afficiendos esse censendum: ad publica opera igitur damnentur, atque infamia notentur.

IX. Patri filium, vel huic illum accusare in publico judicio, haud fas erit. Verum unicuique illorum occulte ad censorem pergere licebit, ut quoquo modo delinquentem coerceat.

TITULUS XIV.

De criminis probationibus.

L. I. Judex idem de criminis existentia, deque pœnis crimini aptandis sententiam ferat.

II. Probationes vel scripto, vel testibus firmandae.

III. Duo testes crimen statuunt.

IV. Infames, mulieres, conjuncti ad decimum gradum usque, pupilli, quique indecoram exercent artem, qui sub judice sunt, qui aliqua damnati jam pœna, qui ut calumniatores noti, magistratus quique vel parvulae auctoritatis, in judicio ne testes sistant, impediantur.

V. Testis confessio haud quoquo modo coercenda.

VI. Si falsus, pœnam calumniatoris luat.

VII. Et in atrocioribus criminibus probationes ipsae.

VIII. Reo probationes criminis, quod illi imputatur, postquam expletae, innotescant.

IX. Ipsi elenchus duodecim judicum detur, inter quos quinque eligere, ut lubebit, liceat.

X. Fas illi judicem, qui suum compilavit processum, recusare.

XI. Omnia illi, adstante patrono, ac parentibus conficere liceat, hisque lubeat ad sententiam usque cum reo esse,

se, ibique ut melius videbitur opem ferant. Patronus, dum reus interrogationibus judici subeat, sileat, inde et illi respondere fas.

XII. Si haud dives reus, a pauperum patrono strenuam recipiat defensionem.

XIII. Quaeque oratio patronis vetanda. Factum simpliciter exponendum, simulque argumenta, quae ex illo pendent.

XIV. Appellare de sententia ad tres alios judices jam ad hoc opus lectis, fas erit.

XV. Si prima sententia haud alii consona sit ab his paratae, superior magistratus cum ipsis sententiam ad trutinam revocet.

TITULUS XV.

De testibus.

L. I. Praevaricatione aliqua testis convictus, respuendus, ac in carcerem detrudendus per mensem.

II. Si unus testis de praevaricatione convictus, reusque crimen neget, nullum crimen adfuisse censendum.

III.

III. Unus testis haud idoneus ad criminis existentiam probandam.

IV. Regulae pene ipsae in judiciis habitae, ut crimen probaretur, servandae, ut reus absolvatur.

IV. Duo testes a reo producti, ut crimen haud extitisse faterentur, haud sufficiant. Tres requiruntur.

V. Si reus tantum duos producat testes, qui adfirment illum in loco patrati delicti non adfuisse, reus absolvatur.

VI. Maturo examine, utrum testes in judicio idonei, an reiiciendi sint, videndum.

VII. Scripta propria manu cum recte probata sint, nullam admittant defensionem. Si tamen dubia, a duodecim testibus fide dignis recognoscenda: maior numerus illorum, qui adfirmant, illorumve, qui abnuunt, scriptum vel apocriphum, vel autographum fuisse statuent.

VIII. Si reus aperte crimen fateatur, in medium Tribunal bis publice ad adfirmationem ipsam conficiendam ducatur.

IX. Si nunc neget, nunc adfirmet cri-

crimen, nil confessio in ipsum detrimenti afferat, ut mortis paena adficiatur, verum ad publica opera perpetuo damnetur.

X. Si crimen mortis pœnam haud mereatur, cum reus in confessione varius sit, mitior statuenda pœna, et vel in publicis operibus, vel in domo correctionis, vel in carcere criminis sui pœnam aliquam luat: quamvis enim haud certum esse constet, maxima tamen probabilitas crimen patratum fuisse, extabit.

XI. Si neget reus, convictus tamen sit, probatione testium exacta, statutam luat pœnam.

Titulus XVI.

De indiciis.

L. I. Cum probationes a lege statutae haud adsint, indicia suppleant, ut crimen extitisse iudicetur: sint hae de indiciis regulae.

II. Indicium unum nullam probationem inducat.

III. Si plura indicia nil aliud, quam unum tantum probent, illa ut unum indicium censeri oportet.

IV. Plura disiuncta indicia criminis existentiam monstrare possunt.

Titulus XVII.

De sententia.

Leg. I. Sententia brevis, manifesta, ac legis sequela penitus erit.

II. Cum haud in lege poena expressa sit, cumque aliquid minui vel augeri, prout probationes expostulent, de illa oporteat, judices, qui ipsam statuere, revisionem mittant ad magistratum eminentem, qui de aberratione a lege vel non mature iudicet.

Titulus XVIII.

De officiis beneficientiae.

Leg. Si quis iniquus alium levi sui labore haud sublevet, ut puta viam illi haud monstret, nec opem aliam huius generis praebeat, cum iniquitas

sua

sua probata sit, decimam proprietatis suae partem, vel quantum censoribus videbitur, in publicum conferat aerarium, ut in pietatis opera vertatur. Si proprietatem tamen nullam habeat, in domo correctionis per duos menses stet.

II. Si vero qui patitur haud civis sit, iniquus vindicem suae inhumanitatis Deum ipsum tantum habebit.

TITULUS XIX.

De gratiis.

Leg. I. Principi haud gratiarum thesaurum denegare fas. Verumenimvero si criminum poenas rigidissime irrogare iubeat, si munerum civilium dignitatem praeclarioribus candidatis ab examinatorum conlegio probatis tribuat, si nobilitatem, si honores dignissimis conferat civibus, imperio melius providebit suo, quam si casu huic, illi bona gratiasque sine discrimine ullo det. Praemia virtuti concedat, non generi, nec inutilibus praeditis qualitatibus.

LI-

LIBER III.

De legibus cuiusvis populi ordinibus aptissimis.

TITULUS I.

De agrorum cultoribus, fabrisque.

L. I. QUisque agrorum cultor filio in quavis arte instructionem paret, si sat locuples, sin minus, ad publicam puerum mittat educationem.

II. Si pater fassus sit damnum in arcendo filio pati, ut publicam adipiscatur educationem, sique maxuma laboret pater inopia, ex publico ærario quid patri detur ad filii absentiam rependendam. Hic omnino in domum publicæ educationis se conferat.

III. Negligentia in agris colendis puniendi.

IV. Publici censores conditionem cuiusque agricolarum familiæ præ oculis habebunt, et statum agrorum

V. Erit locus, in quo senio confecti, qui haud sibi victum parare queunt, honeste vivant. Destinandi tamen et ipsi publicis operibus; quantum vero illis suppetant vires.

VI. Leges ipsæ fabris universis aptandæ.

TITULUS II.

De illis, qui proprietatem agrorum habent, et de fæneratoribus.

L. I. Agrorum possessores, et fæneratores, qui in duobus nobilitatis ordinibus haud adscripti, sed more nobilium vivunt, solvent dimidium sumptus illarum rerum, quibus nobilitas utitur, quibusque ipsi fruuntur.

II. Solvent idem quod lege I. tit. III. dictum.

III. Si nobilium ordinibus admittendi, dimidium pecuniæ, quæ mercatoribus necessaria, ut in ordines ipsos ingrediantur, solvent, si tamen maiores mechanicas haud professos artes per sæculum probent.

IV. Si bonum aliquod societati pa-

rarunt, nobilitatis diploma obtinebunt, quod tamen posteris haud transmittendum erit.

TITULUS III.

De mercatoribus.

L. I. Mercator, qui rheda more nobilium utitur, qui plus duobus famulis, quique domum plus octo fenestris decoratam habet, in publicum ærarium duplum sumptu harum rerum quotannis conferat.

II. Mercator, qui pauper negligentia evaserit, mercaturam haud amplius exerceat. Qui tamen alios fraude deceperit, ad publica damnetur opera, in quibus, donec judicibus illum pœnam luisse videbitur, stet.

III. Mercatori fas duobus ordinibus nobilitatis qui erunt, se adscribere, solvet tamen aureos bis centum millia, ut in primo stet ordine, sexaginta millia, ut in secundo. At ut in primum ingrediatur, antea secundo adscriptum esse oportebit.

IV.

IV. Pecunia in publica vertenda opera.

V. Mercatores, qui societati utilitatem aliquam attulere, nobilitatis diploma habebunt, quod tamen familiæ haud transmittendum.

TITULUS IV.

De nobilitate.

L. I. Duo nobilium ordines erunt: primus altero clarior.

Conditiones, quibus quispiam admittendus in illis, jam titulis prioribus enunciatæ.

II. Pœnae, quæ illis irrogandæ, quibus haud principia honoris cordi, jam titulo VI. lib. I. expressæ.

III. Vetita nobilibus mercatura: indecorus nempe illis omnis quaestus.

IV. Quisquis ex nobilibus societati aliquam paravit utilitatem, a Principe ordine decorandus.

TITULUS V.

De militia.

L. I. Sint milites sexaginta millia omnesque disciplinam rigidissimam accipiant.

II. Unicuique militi stipendium per quam parcum tribuatur, ut quid ex fructibus culturae agrorum, cui incumbit, percipiat, dummodo huic sponte se præbeat. Lucrum, quod ex agricultura proveniet, ut melius in illa miles profecerit, distribuendum. Agriculturæ vero opera danda, exactis militaribus exercitationibus.

III. Sex millia milites tantum in urbe principe remaneant. Hi culturæ agrorum, qui prope urbem ipsam erunt, operam dabunt.

IV. Miles qui in mechanicis exercitationem lubens susceperit, lucrum, quod ex illis percipiat, suum faciet.

V. Miles, qui nullam professus sit artem, haud uxorem ducat. Hæc cuicunque qui artem aliquam profiteatur, concedenda.

VI.

VI. Quot personæ cuiusque militum familiæ artibus se devovent, tot lucri partes illis tribuendæ.

VII. Quæque militaris legio in quavis provincia campum habebit.

VIII. Plures, ut quæque legio erit, agrorum cultores ac fabri erunt, ut milites instructionem in mechanicis accipiant artibus.

IX. Expleto vicesimo in militia anno, ac sedulo honesteque militari perfuncto servitio, parvus militi donandus agellus, vel pecunia, ut illum emat.

X. Militaria munera virtuti donanda, nec, ni prævio examine peritiæ in militari disciplina, obtinenda.

XI. Locus publicæ educationis erit, in quo militum filii strenuam educationem recipiant.

XII. Locus, in quo veterani senio confecti vivant.

Titulus VI.

De maritima classi.

L. I. Ingentium navium denarius numerus, minorum trigesimus, ut ma-

 ris,

ris, quo regnum cingitur, strenue servent imperium.

II. Erit et mercantilis classis commercii aptanda extensioni.

III. Haud exteras merces in propriis, neve proprias in alienis portubus, nisi propriis navigiis vehere datum.

TITULUS VII.

De magistratibus.

L. I. Officium nullum erit, quod haud a consessu aliorum magistratuum pendeat.

II. Nulla a duobus tribunalibus quaestio decidenda. Ut natura cuiusque rei, ita tribunal sit, quod res ipsas definiat.

III. Munera virtutis praemia erunt: virtus ex qualitatibus cuiusque magistratus, quae tantum ab examine hauriri possunt, innotescat. Officia tamen perpetua.

IV. Filii magistratuum haud patrum servitia in medium proferant, ut et ipsi munera recipiant. Merita adscendentium stipendiis rependenda.

V. Ma-

V. Magistratibus quaeque accipere dona haud fas. Primi gradus cognati tantum illis quod lubet donent.

TITULUS VIII.

De Ecclesiasticis.

L. I. Quibus haud conditione fas mechanicas profiteri artes, iis aecclesiae addici permissum. Quibus vero haud improprium illas exercere, non dabitur ecclesiastica frui dignitate, ni tamen patres sive sanguine juncti illis propriis sumptibus rectam in scientiis paraverint educationem.

II. Studiorum ordo monachis, illisque, qui ad sacerdotium pergunt communis.

III. Nullus vetandus aecclesiasticus civilia consequi officia.

IV. Electio ad dignitates civiles seu æcclesiasticas, doctrinæ illorum examine pendebit.

V. Quod illis præbebitur ut pacatam transigant vitam, in emphyteusim dandum: fructus tantum percipient.

VI. Parva dentur illis jugera ut

et proprietas sit aliqua, utque agrorum culturæ lubenter attendant.

TITULUS IX.

De Censorum collegio.

L. I. Collegium in urbe principe censorum erit: quinqueviri tantum hoc adimpleant munus. Vir illis mentis sublimioribus ornatus facultatibus præsideat.

II. Quisque illorum octo censores sibi subiectos habebit, qui variis urbis regionibus adsignandi erunt. Hi iuramento adstringendi ne quod iniusti invenerint, pandant.

III. Inferiorum censorum officia hæc. 1. In domus fabrorum intrent ut videant quæ puerorum educatio. 2. querimonias cuiusque familiae de inverso ipsius ordine audiant. 3. si quisque ordo civium officia a legibus præscripta, servet. 4. utrum otiosi sint quæritent. 5. harum rerum notiam supremo censorum collegio adferant. Ipsi tamen morum puritate alios præstent ne infami delatoris personam induant.

Censores pœnas mitiores nec a lege definitas statuent.

IV. Crimina haud a censoribus iudicanda, illis tantum inspectio in mores reservata.

V. Pœnæ sæpe occultæ, sæpe solis admonitionibus restrictae.

VI. In quæque provincia unum huius generis tribunal erit. Provinciarum ipsarum extensioni censorum numerus respondeat.

Titulus X.

De Examinatorum collegio.

L. I. Nullum militare, civile æcclesiasticum officium obtineri fas, nisi candidatus se per quam severo subiiciat examini, nec quispiam sine examinatorum adprobatione fruatur illo.

II. Collegium quindecim examinatoribus constabit, quinque pro aecclesiasticis, quinque ad militaria munera recte conferenda, quinque pro civilibus dignitatibus.

III. Huic collegio adstabit vir sapientia insignis sit advena, sit incola.

IV. Unicuique candidato in quovis ordine duos inter illos examinatores recusare licebit: tres tantum si vult illius in scientiis peritiam explorent.

V. Propinquitas primi vel secundi gradus examinatorum cum candidatis, impedimento sit, ne illi istorum perscrutentur ingenium.

VI. Examen in hoc repositum. Tria dentur capita in facultate, in qua scrutinium institui oportet. De illis candidati, adstantibus examinatoribus, scribant. Illi quavis librorum ope privandi.

TITULUS XI.

De advenis.

L. I. Advenæ sicuti accolæ ipsis subiiciantur legibus.

II. Si advenæ merces in mare proiectæ statim in littore collectæ misero serventur domino. Si hic tamen ignotus, exacto anno, venum eant, atque pretium in publicum conferatur ærarium. Si merces tamen corruant, statim ac captæ, vendere illas oportet, po-

postque anni spatium auctoritati cedant supremæ, si quoque lateat dominus.

III. Bona, quæ advena reliquit, dum sine hæredibus vita decessit, ad tertium usque annum haud publico liceat addici ærario.

IV. Decimo exacto domicilii anno, advena ut civis censendus. At omnia obeat munera et ante decimum domicilii annum, si præclaro fulgeat ingenio.

V. Si tamen ante tempus illud, vita decedat, bona sanguine junctis, si adsint, perveniant: si haud sint, fisco cedant.

LI-

LIBER IV.

De publicis operibus societati omnino necessariis.

TITULUS I.

De publica puerorum educatione, ac præcipue de scientifica.

L. I. CUicumque haud sat facultatum, ut pueris in scientiis educationem paret, hanc in domo publicæ educationis illis præbebit. Domus una huius generis in urbe principe, ac in primaria cuiusque provinciæ civitate sit.

II. Ætate quinque annorum pueri illuc ingrediantur, nec vero ante ætatem ipsam, nec postea.

III. Ad annum usque decimum octavum expletum illic permaneant.

IV. Sapiens eligatur, qui ab animi inclinationibus, puerorum ingeniis perquisitis, variam illis educationem statuet.

V. Quæ-

V. Quæque genitorum mens in educandis filiis, si contraria puerorum ingeniis, negligenda.

TITULUS II.

De publica educatione in mechanicis.

L. I. Cui nulla in familia educatio, adstringendus in domum publicæ æducationis se conferre.

II. Duo huius generis loca in urbe principe erunt, alter in provinciæ metropoli.

III. Educatio pauperum penitus mechanicas artes versus dirigenda. Nec ibi scientiis, nec litteris penitus edocendi.

IV. Si quis tamen ex miserabili civium ordine in mechanicis artibus exercendis indicia perspicacis ingenii dederit, educationem in scientiis habebit. Huius notitiam præbebit vir, cuius officium ingenia puerorum perscrutari.

V. Censores et in privatis familiis indicia præclari ingenii in puerulis sedulo

dulo explorabunt, notitiamque illorum præbebunt, ne optima naturæ dona perditum eant.

VI. Admittantur pueri sexto ætatis anno, atque in educationis domo permaneant ad annum usque decimum octavum.

TITULUS III.

De expositis ac sine patre filiis.

L. I. Erit et in urbe principe, et in provinciis locus, in quo expositi ad quintum usque annum educandi. Inde in alium trasferendi locum, ut publicam in mechanicis accipiant educationem, seu mares, seu fœminae.

TITULUS IV.

De educatione mulierum in scientiis.

L. I. Habeant mulieres pro illarum statu rectam in scientiis educationem.

II. In urbe principe duodecim loca, quorum sex ad plebeas, sexque

ad

ad nobiles educandas mulieres statuenda.

III. Puellae quinque annis expletis illuc admittantur.

IV. Educatio usque ad annum decimum sextum expletum pergat.

V. Patres dehinc puellas domi rursus excipiant.

VI. Illarum de statu voluntas sedulo exploranda, educatio cum illa consonet.

VII. Haec tamen a monialibus omnino haud dirigenda.

VIII. Magnæ probitatis mulieres in educandis puellis adhibeantur. Publici magistratus seu censores educationi præerunt.

IX. Vetandum, ne e domo educationis egrediantur, nisi ipsius educationis terminus sit expletus. Quæ educant semel in mense e domo exeant, dum vero nocte illuc rursus revertantur.

X. Hæ nisi quadragesimo quinto exacto ætatis anno ad educandum non admittantur.

XI. Magistratus, qui educationi præest, status electionem nunciet. Si vitam amplexæ sint claustralem, in cœnobio

nobio locandæ. Si matrimonium appetant, ex publico dotandæ puellæ si pauperes, si divites ex avitis familiis.

TITULUS V.

De mulierum educatione in mechanicis.

L. I. Pauperes mulieres in mechanicis instruendæ. Dena loca sint in urbe principe, in quibus huic detur opera educationi: duo in quaque provincia.

II. Ut propria inclinatio, puellæ quamdam eligant artem.

III. Admittantur sexto ætatis anno, stent ibi ad decimum sextum usque.

IV. Educatio tantum mechanicas respiciat artes.

V. Si patrem puellæ haud habeant, ex publico aere illis constituatur dos. Si pater vero sit, puellas locare adstringendus.

Ti-

Titulus VI.

De Universitatibus.

L. I. Magna erit in urbe principe Universitas: una in quavis provincia.

II. Scientiæ illic tradendæ, non ut præceptoribus lubet. Hi ut alii, qui politico inserviunt statui, severo subiiciantur examini. Scientiarum ordo omnino statuendus.

III. Haud humanarum illa doctrinarum divisio in historiam, poesim, et philosophiam, in quibus cuncti scientias omnes contineri dicunt. Scientiæ ut in hominis utilitatem convertantur, ab evidentia ac a maxumæ, mediæ, vel minimæ probabilitatis gradibus, quibus fulgent, distinguendæ, sicque illis penitus incumbendum. Hoc tantum scientiarum in universitatibus ordine ad sapientiæ sacrarium immittatur juventus. Academici, de quibus infra, rectam hanc scientiarum divisionem evidentem quammaxume novis reddant elementis.

Ti-

TITULUS VII.

De servanda in populo hilaritate.

L. I. Cum nil populi tristitia deterius, hilaritas ludis ac scænicis spectaculis in civitate servanda. Si vero in religione cerimoniæ, quæ statutis anni diebus Deo colendo inserviunt, devote celebrentur, ludi omnes suspendantur.

II. Scænica non desint spectacula quæ sint civitati solatio, quæque ad virtutes provehendas spectaculorum ipsorum obiectis, præcipuo adsint usu.

III. Lectissimo sapientia viro, spectaculorum inspectio concedatur.

TITULUS VIII.

De pauperum, ægrotorumque hospitiis.

L. I. Magnum adsit in urbe principe pauperum hospitium, in quavis provincia alterum.

II. Sedulo inquirendum, utrum pauperes,

peres, an otiosi illuc admittantur. Prioribus tantum publica ali pecunia datum. Pro vitæ conditione aliquid laboris injungendum, ut victus sibi parare queant partem. Ipsis et aliquid utilitatis ex operibus ipsis redundet.

III. Nonnulla aderunt hospitia, ut ægrotorum necessitudinibus benigne occurratur.

IV. Ex prioribus populi ordinibus eligendi cives, qui in illis inspectionem habeant.

V. Si hi aegrotorum medelae sedulo incumbant, humanitatis, pietatisque indicia adferant, praemia ipsorum ordini consentanea recipient.

Titulus IX.

De Academia.

L. I. In urbe principe Academia erit: una in quavis provincia.

II. Quicunque examinatoribus opus porrigat, ab illis ut adprobetur, et ubi adprobetur, inter academicos adscribendus. Si vero hic in academicis quotidianis elucubrationibus haud opus

illud confecisse demonstret, ex Academia eiiciatur.

III. Nulla academicis pensio.

IV. Quicunque opus scribat, quod ab Europæ academicis probetur, meriti ordinem obtinebit.

V. Si quis aliquid in scientiis novi inveniat, quod ab Europæ academicis probetur, duodena millia aureorum accipiet, ac nobilitatis diploma per vitam tantum suam si haud nobilis, si vero, meriti ordinem habebit.

VI. Quæque Academia quatuor viros inter digniores destinabit, qui scientiarum augumentis operam dabunt. Quod jam scriptum vitare penitus adstricti.

VII. Obiecta, circa quæ academici sedulo versentur ut conditionem cuiusque civium ordinis beatiorem reddant, hæc erunt. 1. Agrorum cultura: 2. mechanicæ artes; 3. commercium: 4. vectigalia.

VIII. Ex his objectis subdivisiones manabunt aliae: 1. observationes de locali positione, et de influxu ipsius in culturam agrorum: 2. de modis soli promovendi culturam: 3. de planta-

rum

rum exoticarum augumento in agris parando, et de ipsarum qualitate perscrutanda, ut quæ populo salubriora evadant, innotescat: 4. de terræ extensione in pascuis vertenda, nec non de agris, ac de nemoribus populo necessariis, ne quod hisce vertitur usibus, civium augumento quamminime officiat.

IX. Circa mechanicas artes, ut hae sine ullo studio a fabris exerceantur, Academici operam dabunt, ut machinarum intelligentia unicuique facilis evadat, ideoque elementa praxis mechanicarum artium idiotis ediscenda dabunt. Methodus invenienda, geometriæ tantum illis concedendi, quantum ad machinarum adipiscendam notitiam necesse.

X. Commercii obiecta, quæ præ oculis academici habebunt hæc 1. de commercio intus exercendo; quapropter permutationem rerum in variis regni partibus curabunt: 2. nundinarum codicem efficient, ut commercium celerius reddant: 3. de publica servanda fide quae non modo illos, qui commercio incumbunt, respiciat, sed et quod ad supremæ auctoritatis offi-

cium spectet : 4. de pecunia ac de quantitate illius, quam in civitate servare necesse erit : 5. de apochis, sique in societatis necessitudinibus harum numerus augendus potius, quam aliis uti mediis ut pecuniæ inopiæ subveniatur : 6. de proportione inter metalla, seu inter numismata servanda : 7. utrum publicæ argentariæ mensæ utiles : 8. de litibus inter mercatores breviter expediendis : 9. de monopolio impediendo.

XI. Obiecta externi commercii, quibus opera danda, haec. 1. Utrum plena commercii libertas utilis, an in quibus generibus restringenda : 2. de mediis curandi ne artium materies e regno exeat nisi jam elaborata, neve in regnum ingrediatur, nisi ut natura adfert : 3. de cambiis : 4. de methodo commercii statum dignoscendi, quod vulgo *bilancia del commercio* dicitur, ac de caussis, quæ illum vel propitium, vel contrarium reddunt.

Titulus X.

De vectigalibus ad publica paranda opera necessariis.

I. Societatis necessitudinibus, puta ad principis dignitatem servandam, ad militiæ, religionis, publicorumque operum institutiones admittendas, vectigalibus occurrendum.

II. Centies, et vicies centena millia aureorum exigenda. Haec in sexagies centena millia civium sic dividenda. Tertia pars a tributis directis: reliquum sic exigendum. Tributa graviora, cum nil laboris adiectum, quod vulgo *mano d' opera* dicitur a mercibus, quæ extrahuntur: mitiora, cum multum laboris adiungatur, erunt. In mercium immissionibus tributum maximum, ut plus laboris adiectum: minuendum ut minus. Sex igitur gradus perfectionis laboris ipsius statuendi, ut in illis dividatur tributum. Tributa graviora in luxus obiectis.

III. Publici reditus numquam civibus cessi, numquam locati.

IV. Publicani, qui cives extorsionibus suis vexabunt, severe puniendi. Qui diligentes atque æqui erunt, præmia recipient.

IN-

INDEX.

LIBER II.

LIBER III.

LIBER IV.

Errata.	*Corrige.*
Pag. 16 quae servant	quae servat
29 conscindendam	conciscendam
31 pecuniendum	puniendum
32 si pauper	si pauper,
36 indicere fas	indictum excusatione dignum
36 Haec quatuor	Haec quinque
53 aecclesie	ecclesiae
53 aecclesiasticus	ecclesiasticus
56 quivis ordine	quovis ordine
59 ingeniis	ingenii

ERRATA.		CORRIGE.
pag.		
12	aecclesiasticos	ecclesiasticos
16	quae servant	quae servat
19	ecclaesiastica	ecclesiastica
ib.	aecclesiasticus	ecclesiasticus
21	aecclesiasticas	ecclesiasticas
29	conscindendam	conciscendam
31	lesae	laesae
ib.	pecuniendum	puniendum
32	si pauper	si pauper ,
36	indicere fas	indictum excusatione dignum
ib.	Haec quatuor	haec quinque
37	poene	poenae
41	lectis	lectos
48	sumptu	sumptus
53	aecclesiae	ecclesiae
54	notiam	notitiam
ib.	infami	infamis
55	in quaeque	in quaque
ib.	aecclesiasticum	ecclesiasticum
ib.	aecclesiasticis	ecclesiasticis
56	quivis ordine	quovis ordine
59	ingeniis	ingenii
64	cerimoniae	caeremoniae
67	augumento	augmento
ib.	augumento	augmento .

